

1997 TSJCL SIGHT RECITATION LEVEL II

Vita Marcī Catōnis

Marcus Catō, nātus in oppidō Tusculō, adulescēns in Sabīnīs habitāvit. Adductus ā L. Valeriō Flaccō, Rōmam migrāvit et in forō esse coepit. Tribūnus mīlitum in Siciliā Catō fuit. Inde cum rediret quaestor fuit. Aedilis plēbis cum C. Helviō factus est. Deinde Catō praetor in prōvinciā. Sardiniā nominātus est. Consolātum cum L. Valeriō Flaccō gessit. At Catō, censor cum eōdem Flaccō factus, eam potestātem ācerrimē administrāvit. In omnibus rēbus fuit summā industriā. Nam et agricola industrius et perītus iūris consultus et magnus imperātor et bonus orātor et vir cupidissimus litterārum fuit.

Etsī Catō erat senior cum studēre litterīs incēpit, tamen tantum prōgressum fēcit ut nihil facile invenīri posset quod eī asset incognitum dē Graecīs et dē Latīnīs rēbus. Senex historiās scrībere constituit; eārum sunt septem librī. Prīmus liber continet rēs actās rēgum populī Rōmānī; secundus et tertius, orīginēs civitātis Italicāe; quam ob rem Catō totum opus *Orīginēs* appellāvisse vidētur. In quartō librō autem est Prīmum Bellum Pūnicum; in quintō Secundum. In reliquīs librīs exposuit quae in Italiā Hispāniāque agerentur. In quibus multā industriā et dīligentiā et doctrīnā scrīpsit.

-Cornēlius Nepōs, *Dē Latīnīs Historicīs*, M. Porcius Catō
(adapted)